

eodem retulit, & si quid minus verè exaratum est, sanctiore stylo corrigendum. Sic igitur ait. Corde imprimis atq; animo est orandum, quod illi non prestant, qui cum labijs Deum honorèt cor habet longè a Deo alienum. Quare Scholastici turpiter errant stantes, in precibus nostris actualem (vt loquuntur) attentionem non esse necessariam, verùm satis esse, vt virtualementem, quemadmodum loquuntur, adhibeamus. Quoniam, inquit, cor non est in potestate nostra, ideo satis est, si ab initio statuamus nos velle Deum orare. Quod sumunt cor nostrum in potestate nostra non esse, facile damus: At illi vicissim fateantur, oportet, si nostra mēs in orando vagetur & erret, id citra peccatum non fieri. Quare non excusant eiusmodi culpam, neque affirmant, preces huiusmodi placere Deo. Hæc Vermilius. Non excusant Scholastici, si quis animo ab oratione alieno, cogitatione in diuersa rapiatur, voluntate errorem illum, & inconstantiam vel approbante, vel negligente: At si quid citra consensum obrepat, quod animum aliquanto tempore à studio orationis auocet, statuunt Scholastici ea, quæ vires nostras superant, Deum humane infirmitati condonare, nec omnino preces nostras auerfari, quamquam ille minore vtilitatem cōsequantur. Nam vt docet D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 13. orationis triplex est effectus. Primus cōmunis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri. Et ad hunc effectum non necessariò requiritur quod attentio adfit orationi per totum: sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam actionem meritoriam. 2. ei proprius, quod est impetrare. Et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio. Si autem 1. intentio desit, oratio nec est meritoria, nec impetratiua. 3. quem presentialiter efficit, est quædam spiritualis refectione mentis. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio, vt 1. ad Cor. 14. Si orem lingua, mens mea sine fructu est. Hæc D. Thomas, qui vna cum reliquis scholasticis docet attentionem quandam adhibere possimum iure diuino cuiusque orationi deberi: nonnumquam verò etiam ad litteræ prolationem ex legis præscripto obligari: neq; fas esse vlllo tempore Deum absque debito cultu ac reuerentia compellare. Attentio verò communior, & quæ idiotis etiam in promptu est, ac sufficit, illa est, quæ in Deum fertur, & in rem pro qua Deo offertur. Ad Chryl. reuertamur, & alteram huius hemistichij partem explicemus. Sic igitur ille: Sed quomodo dicit quod multiplicauerit precationem, quando exiguus est modus precationis quam fudit mulier? Neque enim in longum produxit sermonem, neque in multum temporis extendit supplicationem, sed pauca nudaque verba prolocuta est. Adonai Domine, &c. quæ superius. Quæ est hic verborum multitudo? Quid igitur inuit, cū ait, Multiplicauit? Assidue sonabat eadem, nec desistit in eisdem verbis iterandis multum temporis absumere. Ad hunc modum & Christus in Euangelio, Matthæi 6. docuit orare. Quum enim iussisset discipulis in more gentium orarent, vtentes multiloquio, etiam modum precationis docuit: ostendens vt

exandiamur, non esse situm in verborum multitudine, sed in vigilantia mentis. Obicit autem sibi tum ex Euangelio Lucæ 18. viduæ parabolam, tum ex Epistola ad Roman. 12. & aliis locis Pauli auctoritatem admonentis perpetuò atque assidue orare, quæ sanè videntur cum iis, quæ prius ab illo dicta sunt, pugnare. At verùmque optimè conuenire docet, si crebrò & ex animo easdem diuinis auribus preces inculcemus. Nec malè Vermilius. Sciendum est, inquit, cū Christus monet ne orantes multiloquio utamur, minimè prohibuisse diuturnas preces, siquidem ipse pernoctauit orās in monte, & ante mortem prolixè orauit, nõsque iubet semper orare, ac nunquam desicere. Et quo magis hoc inculcaret parabolis vsus est, primum quidem iudicis iniqui, mulieris viduæ causam propter eius importunitatem vindicantis: Deinde etiam alterius hominis qui cū esset in lecto, & nollet surgere, tamen amico assidue atque importunè pulsanti fores postremò aperuit, eique tantum dedit panis quantum ille accipere voluit. Quin & ipse Dominus mulierem Chanaitidem in defese pertinaciterque clamantem ad extremum audivit. Quare attendendum est multiloquium tum adhiberi, non cū diu precamur, sed cū citra fidem & spiritum verba multiplicamus, persuasi, nos propter numerum ipsium verborum audiri posse. Sic Helias Baalitis ridebat, hortabaturque; vt altius clamarent, quo à Deo suo vel dormiente, vel occupato denique audirentur. Huc vsque Vermilius. Fortassis etiam dici possit verba illa Domini de petitionibus, quæ ab orante fiunt, intelligenda esse, quæ paucis perstringendæ sunt, non Rhetorum hosculis, aut verborum phaleris exornandæ, quasi quid ignoret Deus eorum, quæ nos contingunt, aut opus sit, quæ necessaria nobis sunt, multis illum edoceri: semper tamen in eius celebrandis laudibus immorandum esse, nec vlllo inquam tempore à referendis gratiarum actionibus quiescendum. Sic enim fiet, vt, & paucis desideria nostra insinantes, præcepto pareamus, & diutius rerū cælestium contemplationi inhærentes, ab eius exemplo non recedamus.

Vt Helis obseruaret os eius. ] Os duobus modis dicitur, vt docent medici. Primò, quantum diducta labia patent: Secundò, & propriè, totū id spatium quod diductis labris ad imas vsq; fauces interiacet, in quo dentes, palatum, lingua, gurgulio, & tonsillæ dæ continentur: hæ enim omnes partes os nūcupantur, quarum omnium vna tunica continua est, etiam naribus communis. Adnotarūt & hoc, os esse homini inter animalia paruum cōparatione vnguium, & dentium. Porro cibi illa via est, aque vltro citroque mentis animæ ostium, vocis etiam officina. Verùm, vt arbitror, non pro ore duntaxat, sed etiam pro toto vultu Synecdochicas hęc sumitur, qui nullo in animante esse præter hominem potest, vt tradit Cicero de legibus, & indicat mores: cuius vim Græci norunt, nomen omnino non habet. Et alibi, Vultus, inquit, sermo quidam tacitus mentis est. Libro autem de oratore: imago animæ vultus est, indices oculi.

S. Thomas. Triplex orationis fructus.

Ad tertium orationis effectum actualement intentionem requiri.

Quid sit multiplicare preces. Interpretatio. S. Chrysol.

Vermilius.

2.

3.

Os quid dicitur.

Cicero.

Vultus motum index.